

ut et Pater vester, qui in coelis est, remittat vobis peccata. Et ad sacrificium cum dissensione venientem revocat ab altari, et jubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem Deo munus offerre, quia nec ad Cain munera respexit Deus, neque enim pacatum habere Deum poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat.

XI. Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? quae sacrificia celebrare se credunt aemuli sacerdotum? an secum esse Christum, cum collecti fuerint, opinantur, qui extra ecclesiam Christi colliguntur? Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis et gravis culpa discordiae nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in ecclesia non est: ad regnum pervenire non poterit, qui eam, quae regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit: concordēs atque unanimes esse praecepit: dilectionis et caritatis foedera incorrupta atque inviolata servari mandavit. Exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenuit caritatem. Docet hoc et contestatur Paulus Apostolus, dicens: Et si habuero fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum distribuero omnia mea, et si tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil proficio. Caritas magnanima est, caritas benigna est, caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non cogitat malum, omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: caritas nunquam excidit. Numquam, inquit, excidit caritas: haec enim semper in regno erit; haec in aeternum fraternitatis sibi cohaerentis unitate durabit. Ad regnum coelorum non potest pervenire discordia. Ad praemia Christi, qui dixit: Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, quemadmodum dilexi vos, pertinere non poterit, qui dilectionem Christi perfida dissensione violavit. Qui caritatem non habet, Deum non habet. Ioannis beati Apostoli vox est: Deus, inquit, dilectio est et